



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

9. Ex quibus constet Ius Canonicum scriptum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

gitur ex Proœmio Decretalium, § 5. & Proœmio Codicis, *Constitut.* 1. habeturque *in lege*  
 1. *Cod de novo Cod faciendo*, & in d. l. 2. § 5. *secus au-*  
*tem in tanta* Eoque sit, ut, licet Gratianus in hoc  
 opere tria p̄cipue sibi proposuerit summa ge-  
 nera, ut pater ex antē dictis, ea tamen Rubricis  
 non distinxerit, sed omnibus hanc generalem  
 inscriptionem p̄fixerit, quia ad hoc maximè  
 uitatur, ut discordantes Canones ad concordi-  
 am revocet.

## §. IX.

Ex quibus constet Jus Canonicum scri-  
 ptum.

1. 2. *Ius Canonicum quod modo ex Principum Con-*  
*stitutionibus & SS. Patrum sententiis con-*  
*stare dicatur.*
3. *Leges non dignantur imitari sacros Canones,*  
*& contrā.*
4. *Ius Canonicum à jure Civili declarationem ac-*  
*cepit. & contrā.*
5. *Canon summi Pontificis dictū SS. Patrum quan-*  
*do derogat.*
6. *Removetur obiectio.*

**C**onstat Jus Canonicum partim ex sacrae Pa-  
 ginæ p̄ceptis, partim ex Conciliorum,  
 tam universalium quam particularium, auctori-  
 ate Pontificia confirmatorum decretis; partim  
 ex Constitutionibus ac sanctionibus SS. Ponti-  
 ficum, partim ex secularium Principum Constitu-  
 tionibus, seu legibus, & sanctorum Patrum  
 sententijs.

1. Quod tamen intelligi debet de ijs, cum  
 Constitutionibus tum sententijs, que in corpus  
 ipsum Canonicum relate sunt, & a Sancta Sede  
 approbatæ: alias enim vim legis Ecclesiasticae  
 non habent, can. *De libellis distinct.* 20. non ma-  
 gis, quā respoula prudentum sine approbatione  
 Principiunt. Nec enim hoc ipso, quo Gratianus  
 pleraque jura civilia in suum Decretum retulit,  
 ea referri debent in numerum sanctorum Cano-  
 num: quandoquidem Gratianus ipse, utpote ho-  
 mo privatus, ut ante diximus non habuerit au-  
 thoritatem ea canonizandi.

2. Idem diceendum de Patrum sententijs, que  
 licet ex Leonina Constitutione, in can. 1. *Distinct.*  
 20 post SS. P. P. sanctorumque Conciliorum de-  
 creta & sanctiones, secundum in decidendis cau-

sis locum sortiantur: Juris tamen (ad quod con-  
 dendum non solum scientia, sed magis potestas  
 necessaria, d. dist. 20 in prim.) auctoritatem nou-  
 habent: licet, quatenus in corpus Canonicum  
 relatæ, & à summō Pontifice approbatæ sunt,  
 five Principum secularium Constitutiones, five  
 sententia Patrum, non sit dubitandum, quin  
 parem cum alijs Pontificum Constitutionibus  
 vim & auctoritatem habeant, juxta illud vulga-  
 tum Justiniani, in l. 1. §. sed neque 6. C. *De rebus ju-*  
*re enucleando, & à Bonifacio repetitum in c. Si A-*  
*pofolica De prabondis, in 6.* Omnia nostra faci-  
 mus, quibus auctoritatem nostram impertimus.

3. Ut autem leges non dedignantur sacros  
 Canones imitari, ita & sacri Canones Princi-  
 pum Constitutionibus adjuvantur, & adiuvari  
 debent, e. i. inf. de novi operis nunciat, can. Si  
 in adiutoriorum 7. *Distinct.* 10. & similibus alijs.  
 atque adeo etiam in foro Ecclesiastico recipiu-  
 tur, can. *Summopere* 70. xl. q. 3. dummodò  
 sacra Scripturæ, vel Canonis sanctionibus,  
 vel bonis moribus non adversentur, can. 2. 4. 9.  
 cum seqq. *Distinct.* 10. nec expresse statuant de  
 rebus aut personis Ecclesiasticis, sed simpliciter lo-  
 quuntur, nisi forte Ecclesiæ favorem concer-  
 nant, Nam de rebus aut personis Ecclesiasticis  
 potestas secularis non potest quidquam va-  
 lide statuere, e. *Qua in Ecclesiastico* 7. inf. *De*  
*Constitut.* & alijs similibus; sed in illis subest  
 Ecclesiasticis, can. *Cortum* 3. *Distinct.* 10. eam-  
 que manet obsequendi necessitas, non auctori-  
 tas imperandi, can. *Bene quidem* 1. §. cumque lega-  
 ta *distinct.* 69. idque ex constitutione divina, can.  
*Lege dist.* 10.

Hinc patet, Justiniani Constitutiones in Co-  
 dice & Novellis. De rebus & personis Ecclesiasticis nominativi disponentes, licet de facto o-  
 lim obtinuerint, de Jure tamen Canonico nullus  
 fuisse momenti.

4. Cæterum ubi aliquid obscurius aut mi-  
 nus diserte & explicate jure Canonico consti-  
 tutum est, quod jure Civili aperiū sit deci-  
 sum aut declaratum, vel contrā; alterum ab al-  
 tero interpretationem five declarationem re-  
 ac mutuatur. Unde si casus aliquis sit deci-  
 sus à Jure Civili, & dubius de Jure Canoni-  
 co, sequemur Jus civile in utroque foro; si-  
 cut & ē diverso, ubi casus est decisus de Jure  
 Canonico, & dubius de Jure Civili: Abbas latē  
 in

in cap. 1 de novi operis nuntiat. Glos. & DD. in cap. Lieet suscepto 10 inf. de foro compet. Bart. in l. Privilia & l. Omni novatione C. De sacro. Eccles. Ubi verò jus Canonicum & Civile inter se manifestè repugnauit aut dissentient, utrumque in suo foro retinendum est, nisi forte jus Civile foveat peccatum, uti fovent leges permittentes usuras, concubinatum, prescripcionem cum mala fide, & aliæ similes: nam cum ad ius Canonicum, rejecto jure Civili, etiam quoad forum sacerulare, recurrendum est, c fin inf. de prescriptionibus. In causis verò miserabilium personarum servandum est jus Canonicum in utroque foro, quando Canones contrariantur legibus. Item si jus Civile foveat lucrum otiosum, & sapiat quendam rigorem, non servabitur in foto Canonicis, licet per Canones non sit reprobatum. Si verò statuat exigitatem ius autem Canonicum rigorem, servandum erit Civile in utroque foro. Felin. in c. In caussis 15 col. 1 inf. De testib. prout citat & tradit Maranta Parte 3. Spec. num. 75. & 76.

5. Quantum verò ad dicta sanctorum Patrum attrinet, cum non ijs, sed summo Pontifici, data sit potestas legis Canonicæ condendæ. Clement. Pastorali § fin. Dere judicata. Abbas in c. Tua inf. de decimis. Felianus in c. Ne innitaris inf. De constitut. ideo quoad decisionem caussarum, ubi est canon summi Pontificis, ibi cessat auctoritas sanctorum Patrum: nisi dictum sancti Patis fuerit conforme novo vel veteri Testamento, seu ejus auctoritate munatum, quia tunc esset præferendum cuiuscumque legi. etiam summi Pontificis. Cessante vero dispositione summi Pontificis, possunt dicta sanctorum Patrum allegari ad decisionem caussarum, prout ex alijs, quos citat, tradit Maranta d. loco 77 & seqq. Ubi etiam tradit, quoad solam interpretationem divinæ Scripturæ, nō ad decisionē caussarū, magis credi dicto sanctorum, quam sī nū potificis.

6. Non obstat prædictis, quod jus canonium torum humanum dicatur; vnde videri posset, non constare ex sacra pagina præceptis, quæ sunt juris divini: nam in primis, ut ante dixi, in novo Testamento multa sunt juris humani Ecclesiastici. Quantum verò ad veteris Testamenti præcepta, sola moralia, tamquam naturalia, eaque de caussa immutabilia remanserunt: judicialia enim & ceremonalia morte Christi, completo nostræ redempcionis opere expira-

runt: & quæ passim in Decretalibus ex ijs inserta & repetita reperiuntur, non obligant nos, ut divinæ legis præcepta, sed ut humani juris sunt, nova scilicet sanctione à SS. PP. renovata. Vide Covat. lib. 1. Var. Resolut. cap. 17.

## §. X.

## De Conciliis.

1. Ratio nominis,
2. Divisio in Ecclesiasticum & Saculare.
3. Divisio Ecclesiastici in Universale & locale seu particulare.
4. Concilia Universalia quot, & qua.
5. 6. Particulare quid, & quorūplex.
7. 8. De provincialibus conciliis: & qui ad illa vocandi.
9. De Conciliis seu Synodis Episcopalis, & mea- dius celebrandi.
10. Discretum Universalem & particularium, quoad vim obligandi.

1. **D**iximus Jus Canonicum scriptum partim quoque conflatum esse ex conciliarum decretis; de quibus propterea breviter hic agendum est.

Conciliū nomen Latinum est, tractum ex more Romano, dictumque, vel à communī intentione: & quidem publici ex caussa, ut dicitur & declaratur in Can. Canones diffinit. 15, vel à Consulendo, quasi Consilium, quod ad Concilia vocentur viri sapientes, ad consultandum super agendum, & ad publicam utilitatem spectantibus. Altero vero Græca voce Synodus appellatur, quasi comitatus vel cœtus a coēndo, id est conveniendo, d. can. Canones vers. Synodus. Utique appellatione promiscue utimur.

2. Potest autem Concilium dividii, primo in Ecclesiasticum & Saculare. Ecclesiasticum (de quo solo hic agendum) ex etymologia nominis, allata ex d. can. Canones, definiti potest, Congregatio hominum Ecclesiasticorum prudentum, auctoritate Praelatorum convocatorum, ad tractandum communī intentione de rebus Ecclesiæ necessarijs, & utilitatē ejus publicam concernebuntibus.

3. Conciliarum Ecclesiasticorum, secundum Glossam in can. Convenientib. 1. q. 7. alia sunt Universalia seu Generalia, alia Localia seu particularia. Concilium Universale Ecclesiasticum est, quod à Papa vel ejus Legato cum omnibus (id est,